



84  
Sammelband

Geh. als Acc. v. L.  
A M A N D I  
POLANIA  
POLANSDÖRF

Partitionum Theologica-  
rum, Logica Methodo  
institutarum,

L I B E L L I D V O.

Xάρις Βασιλίου ὀπηδᾶ.



BASILEÆ,  
Per CONRAD. WALDKIRCH.

clc Iac x.

**Compendium totius Theologiae, atq;  
adèò Christianismi est à Paulo pro-  
positum Tit. 3.8. Fidus est hic sermo, &  
hoc volo te affirmare, ut studeant bona  
opera tueri, qui crediderunt Deo: id est,  
quæ sunt honesta, & hominibus uti-  
lia.**

**Partitio**



# Partitionum Theologica- rum, Logica Methodo institutarum,

## L I B E R P R I M V S.

### *De Fide.*

**H**EOLOGIA est doctrina tradens rationem consequendi vitam æternam, Ioan. 5.ver.39. & 20.31. 2 Timoth. 1.10. 1 Cor. 6.9. 1. Tim. 6.11. & seq. Rom. 1.16. Iac. 1.21.

Ea libris Canonicis utriusque Testamenti, veteris & noui, tota & solida comprehensa est, Act. 20.27. & 26.22. Deut. 4.2. Psal. 19.8.

Eadem quidem utriusq; fœderis substantia est: Rom. 1.2. Hebr 13.8. Apoc. 13.8. differunt autem in amplitudine eum vocationis, tum perspicuitatis.

Vocationis, quia Christus veteri fœdere Hebreis promittitur: nouo gentibus omnibus exhibetur, Matthæi 15.24. & 28.19. Act. 13.46.

Perspicuitatis, quia quæ obscurius adumbrantur veteri, clarius & abundantiūs illustrantur nouo, Matthæi 13.16. 1 Cor. 10.11. 2 Cor. 3.13. Hebr 9.9. & 10.1.

Theologiæ partes duæ sunt: Vna de Fide: altera de Fidei actionibus, Roma. 1.17. Hebr. 2.4. Iac. 2.20. Philip. 1.27. Tit. 3.8.

Fides est certa notitia, per quam firmiter verbo Dei assentimur, cōiuncta cum fiducia in Deum de ipsius beneficiis erga suam Ecclesiam, Eph. 3.12. 2 Cor. 3.4.

Fidei summam Symbolum Apostolicum complectitur: ideoq; fidei norma & regula est. Symbolum ipsum sic habet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, crearem  
tum & terram, &c.*

4 PARTIT. THEOLOG.

Capita Symboli duo sunt: primum de Deo; secundum de Ecclesia Dei.

Deus est Spiritus æternus, infinitus, omnipotens, atq; optimus, i Tim. 1.17. Esa. 40.12. Rom. 1. Genes. 17.1. & 35.11. Ioan. 4.24. Psal. 90.2. Exodi 6.3. Deut. 7.18. & 10.17. Apoc. 1.4. 8.17 & 4.9. Ierem. 23.23. & 31.2. Psal. 139.7. 2 Cor. 6.18. Matth. 19.17. Num. 11.23. Esa. 40.12.

Fides de Deo est vel respectu Dei ipsius, vel respectu Oeconomiæ operum ipsius.

Dei ipsius respectu est, quæ Deum unum essentia: at trinum in personis esse credimus, Deuter. 6.7. 1 Cor. 8.6. Gal. 3.20. Ephes. 4.6. i Tim. 2.5.

Essentia Dei, est natura Dei diuinis personis communis, Ioan. 1.1. & 10.30. & 15.26. i Ioan. 5.7. Gen. 1.1. & 3.22.

Persona diuina, est subsistens diuinum proprietatibus suis incommunicabile.

Personæ sunt tres: PATER, FILIUS, & SPIRITVS SANCTVS. Vnde veneranda colitur Trinitas, Matt. 3.16. & 28.19. i Ioan. 5.7.

Pater est Persona, quæ Filium ab æterno genuit, Psal. 2.7. 2 Cor. 1.3.

Filius est persona à Patre coessentialiter genita, Matt. 3.17. 2 Cor. 1.19.

Spiritus Sanctus est persona ab utroque Patre & Filio procedens, Ioan. 15.26. & 20.22. Rom. 8.19.

Sic est fides ipsius Dei respectu: sequitur de  
Oeconomia operum ipsius.

Opera Dei sunt, quæ à Deo facta sunt, vt essent illu-  
strissima gloriæ ipsius argumenta, Prou. 16.4. Psalm.  
8.1. & 19.1. & 104.1.

Opera Dei, interna sunt vel externa.

Interna, quæ in ipsa essentia Dei ab æterno facta sunt,  
Ephes. 1.9.

Ea indicantur Prudentiæ Dei nomine.

Prudentia Dei, est rerum omnino omnium liberrima dispensatio, Ephes. 1.11. Ezech. 1.

Contineturq; præscientia & decretum.

Præscientia Dei, est omnium rerum efficax præcogni-  
tio, i Petr. 1.2. Act. 15.18.

Decr-

# L I B E R I

5

Decretum Dei, est cuiusque rei ad suum finem depu-  
tatio, Actor. 2.23. & 4.28. & 10.42. Rom. 8.28. i Cor. 2.1. &  
i Petr. 1.20.

Est verò decretum Dei immutabile. ἀπετακίνητον atque  
ἀμεταρέλητον: ideoque necessarium, Psal. 33.11. Num. 23.  
19. i Sam. 15.29 Esa. 46.10. Malach. 3.6. Iac. 1.17.

Id decretum quod ad salutem hominum attinet pe-  
culiariter vocatur prædestinatio.

Prædestinatio est decretum Dei, quo constituit quid  
de cuiusq; hominis salute fieri vellet, Roman. 9.v.6. i Ti-  
moth. 2.19.

Estq; Electio vel reprobatio.

Electio, & prædestinatio, qua Deus pro grātuīta sua  
misericordia, quos voluit ad æternam vitam ordinauit,  
Ephe. 1.15. Matth 22.14. Rom. 8.28. & 9.21. Act. 13.48. Luc.  
10.20. Phil. 4.3 Apoc. 3.5. & 21.27.

Reprobatio est prædestinatio, qua Deus pro sua iū-  
stitia, eos, quorum non misertus est, ad æternam mor-  
tem repudiauit, Prou. 14.4. Exodi 9.16. Roma. 9.22. Iudæ  
v.4. Apocal. 13.8. & 17.8 & 20.15.

*Hæc de internis Dei operibus; sequitur  
de externis.*

Externa opera Dei sunt, quæ ipse extra suam essen-  
tiam, iuxta æternum prouidentiæ suæ decretum, ef-  
ficit.

Ea intelliguntur nomine imperij Dei.

Imperium Dei est potestas eius, quam in subiiciendis  
suo nutui rebus omnibus, cōspiciendam præbet ad pro-  
uidentiæ suæ decreta in effectum producenda, Psalmo  
93.1. & 95.3. & 96.10. & 97.1. Exodi 15.18.

Opera Dei interna alia in huius vitæ spacia incidunt:  
alia hanc vitam consequentur.

Quæ in hujus vitæ spatia incidunt, alia generalia sunt,  
alia specialia.

Generalia sunt, quæ generatim ad totius yniuersi res  
spectant, vt Creatio & Gubernatio.

Creatio est rerum omnium è nihilo productarum for-  
matio, Genesis 1. & 2.

BB

## 6 PARTIT. THEOLOG.

Creaturæ vel spirituales sunt, vel corporeæ.

Creaturæ spirituales sunt spiritus finiti, molis corporeæ expertes.

Eiusmodi sunt tum Angeli; tum hominum animæ.

Angeli, sunt creaturæ spirituales, Dei Creatoris ministriæ.

Angeli vel boni sunt, vel mali.

Boni, qui in pristina sua dignitate persistentes, in cœlis Deo assistunt, diuinæ eius beneficentiae dispensatores, Matth. 18. v. 10. Hebr. 1. 14. Psalmo 34. 8. & 91. 11. & 103. 21.

Mali Angeli, sunt Spiritus Deo rebelles, omnium malorum autores.

Anima hominis, est creatura spiritualis, corporibus hominum informandis à Deo inspirata, Gen. 2. 7.

Creaturæ corporeæ sunt præter spirituales cæteræ omnes.

### Tantum de Creatione: sequitur de Gubernatione.

**G**ubernatio est rerum omnium, etiam singularissimorum, moderatio, ut ad decretum finem ferantur, Ioan. 5. 17.

Hanc clarissimè Deus semper ostendit, tum in conservatione rerum, tum in destructione.

Si conservationem rerum speces: non solum species perpetuat: sed etiam sigillatim singularissimæ cuiusque rei procreationem tuncipit, Deuteronom. 28. 3. Psalm. 36. 8. & 16. 9. & 104. 14. & 107. 38. Ose. 2. 8. Ioann. 4. 6. Matth. 6. 30. & 10. 29.

Si vero destructionem rerum speces, iustissimo suo iudicio, quantumvis saepè occulto, penas infligit, & calamitates imponit, Genesis 7. 4. & 19. 24. Numeri 16. 31.

Gubernatio vel immediata est, vel mediata.

Immediata, qua Deus absque mediis seu instrumentis singula administrat, Genesis 20. 3. Matth. 4. 4. Deuter. 8. v. 3.

Mediata, in qua ministerio causarum secundarum.

tan-

# L I B E R I.

7

Tanquam instrumentorum vtitur ad opera certa perficienda.

Instrumenta verò, quibus Deus vtitur, alia animata sunt, alia inanimata: utraq; vel bona, vel mala.

Vtrisque, non solum bonis, sed etiam malis instrumentis Deus semper bene vtitur.

Licet verò malis instrumentis vtitur: tamen nullius omnino peccati est autor vel particeps: quod vel inde apparet, quod mala instrumenta, quorum opera usus erat, deinceps seuerissimè punit.

Instrumenta animata vel rationalia sunt, vel rationis expertia.

Rationalia; ut Angeli, 1 Reg. 6.17. Ioa. 2.7. & homines, Genes. 45.4. 2 Sam. 16.10 Ierem. 25.9. Ezech. 21.21. Ioan. 19.11. Act. 2.23. & 4.27.

Rationis expertia; ut bestiæ, 2 Petr. 2. v.16. Ezech. 1.4. 2 Reg. 2.24. Genes. 8.2. Exodi 8.2.

Instrumenta inanimata sunt manna, Exodi 6. v.4. carnes, Exodi 16.13. potus & cibus, 1 Reg. 17. v.4. sulphur, ignis, Genes. 19.21. grando, Exo. 9.22. item siccitas, fames, morbus, pestis, gladius, moirs, &c.

*Generalibus operibus expositis: sequuntur specialia.*

Specialia opera Dei, sunt quæ Deus peculiariter in hominum genere exercet.

Horum alia communia sunt electis & reprobis: alia duntaxat ad electos spectant.

Communia electis & reprobis sunt Miracula & Vocatio.

Quæ quidem reprobis sine fructu eueniunt; in electis autem efficacia sunt, Matth. 9.34. & 12.24. & 20.16. & 22.14. Marc. 3.4.

Miraculum est opus Dei speciale, supra naturæ ordinem effectum.

Vocatio est opus Dei speciale, quo quosvis homines ad participationem suorum beneficiorum inuitat, Matt. 22.9. 1 Cor. 1.9. 1 Tim. 2.4.

Duntaxat ad electos spectant iustificatio & sanctificatio, 1 Cor. 1.30.

BB 2

8 PARTIT. THEOLOG.

Horum operum ad electos spectantium doctrinā consolationis plenissima, nomine Euangelij patefacta est.

Euangelium est doctrina de salutis humanæ, per peccatum amissæ, instauratione.

Iustificatio est iustitie Christi, per gratuitam remissionem peccatorum, imputatio, Rom. 3. 24 & Cor. 5. 8.

Imputatio, est Dei patris beneficium, quo dignatur iustitiam Christi nostram ducere, Rom. 4. v. 3. 5.

Ea prouenit ex Christi Exinanitione, & Exaltatione.

Exinanitio Christi, est ipsius obedientia, quam ēternō Patri præstans, se infra omnes creaturas summisit, Phil. 2. 7. Matth. 8. 20. & Cor. 8. 9.

Exinanitionis opera sunt incarnatione & ~~Agogia~~.

Incarnatio, est opus exinanitionis Filij Dei, quo humanam naturam de Spiritu Sancto conceptam, & ex Maria Virgine genitam, assumit vnione hypostatica, Luc. 1. 35. Matth. 1. 18.

Conceptio Christi de Spiritu Sancto, est formatio ipsius in utero Virginis Mariæ miraculosa operatione & virtute Spiritus Sancti.

Vnio hypostatica, seu personalis, est copulatio humanæ naturæ Christi cum ipsius Deitatis hypostasi, inconfusa & indissolubilis.

Vnde fit, vt Iesus Christus idem sit verus Deus, & verus homo in una persona.

Propter hanc unionem personalem proprietates naturalium fiunt communes personæ.

Vnde etiam voces proprietatem vel operationem unius naturæ significantes, tamen de tota persona dicuntur tropo synecdoches.

Hæc synecdoche à Theologis appellata est peculiariter Communicatio Idiomatum.

Communicatio idiomatum, est synecdoche, qua toti personæ tribuitur, quod yni naturæ est proprium, i Petr. 3. 18. & 4. 1. Rom 1. 3.

Hæc synecdoche est in concreto: non autem in abstracto.

Cor-

**Concretum**, est vox de tota persona Christi accepta: vt Deus, homo.

**Abstractum contrà** est vox de alterutra saltē naturā in persona Christi usurpata: vt Deitas, humanitas.

Quemadmodum ergo rectissimè dicitur, Christus Deus est natus ex Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus: ita rectissimè etiam dicitur, Christus homo est æternus, ubique præsens, & omnipotens.

Contrà quemadmodum impia & blasphemia est oratio hæc, Deitas Christi est nata ex Virgine, passa sub Pontio Pilato, crucifixa, mortua & sepulta, &c. ita impia & blasphemia est & oratio hæc: Humanitas Christi est æterna, ubique præsens, omnipotens.

*Declarata Incarnatione: sequitur*

*Alegoria.*

**Διανοία**, est opus exinanitionis Filij Dei, humano generi ministrantis, Matt. 20. 28. Rom. 15. 8. Estq; λειτεργία, vel λύτρωσις.

λειτεργία dispensatio, est tum noui Testamenti promulgatio, tum perpetua intercessio.

Noui Testimenti promulgatio patefactione Euangelij continetur.

Intercessio, est λειτεργία Filij Dei, qua ipse unus Mediator, perpetuò pro sua Ecclesia apud Patrem intercedit, Hebr. 8. v. 2. 61. Tim. 2. 5.

Intercessio hæc sit dupliciter:

Primùm integratīs & obedientiæ suæ perpetuo vigore Patrem nobis placante, Hebr. 13. 8. Apocal. 13. 8. & Ioan. 2. 1.

Deinde, quoniam non nisi in ipsius nomine Patri ritè possumus preces nostras offerre, quò gratum sit Patri quicquid offerimus, Ioan. 14. 13. & 16. 23.

λύτρωσις, satisfactio, est opus exinanitionis Filij Dei, dantis animam suam in redēctionis pretium pro multis, Matth. 18. 11. & 20. 28. & 26. 28. Marcj. 10. 45. 1 Tim. 2. 6.

Hæc complectitur tum Passionem & Sepulturā, tum Resurrectionem.

10 PARTIT. THEOLOG.

Passio Christi est sacrificium propitiatorium, quo Christus per seipsum peccata humani generis expians, iram Dei placauit, Cor.2.8. & 15.3. Act.20.28.2 Cor.5.21. 1 Petr.5.18. Hebr.7.27.

Sepultura Christi, est corporis eius in nouum monumentum impositio, qua nostra peccata secum sepeliuit, Rom.6.4.

Resurrectio Christi, est tertio post mortem die redditus in vitam, qua nos ad nouam vitam secum excitauit, Roman.6.4.

*Exposita exinanitione Christi: sequitur de exaltatione eiusdem.*

**E**xaltatio Christi est ingressus ipsius in gloriam, obedientia Deo Patri praestita partam, Lucæ 24. vers.26. Phil.2.9.

Ea complectitur ascensionem in cœlum: & sessionem ad dextram Patris.

Ascensio Christi in cœlum, est qua corpus ipsius visibiliter sursum receptum est in cœlum, ut nobis quoque locus ibidem pararetur.

Sessio ad dextram Dei Patris, est possessio regni & imperij paterni super res vniuersas, Psalmo 110. v.1. 1 Corinth.15. vers.25. Ephes.1.20. Hebr.8.1. 1 Petri 3.22. Act.7.56.

*Adbuc declarata sunt pertinentia ad iustificationem: sequitur de Sanctificatione.*

**S**anctificatio, est animæ à nativa pollutione per Spiritum Sanctum purgatio.

Hæc complectitur tum regenerationem: tum dona perpetuò regenerationem comitantia.

Regeneratio, est corruptæ hominum naturæ spirituæ instauratio, Ioan.3.5. Tit.3.5.

Regenerationis partes duæ sunt: Mortificatio veteris hominis, & viuificatio noui, Rom.6.2.

Mortificatio veteris hominis, est peccati in nobis abolitionis, Coloss.3.5. Rom.6.6.

*Mortificatio*

# L I B E R I.

ii

Mortificatio est pœnitentia vel crux.

Pœnitentia, est mortificatio, qua cor serio peccatorū sensu affectum ad Deum conuertitur, Psalm. 51. 19. 2 Corinth. 7. 10.

Crux, est mortificatio, qua magis ad seriam pœnitentiam excitamur, 1 Cor. 11. 32. Psal 119. v. 67. 71.

Crux vel pœna est, vel tentatio, vel martyrium.

Pœna, est crux, quam peccatis puniendis Deus infligit, πνωσία, Psal. 6. 2.

Tentatio, est crux constantiæ fidei experiundæ causa à Deo seruis suis imposta, δοκιμασία, 1 Petri. 1. 7. & 4. 12. Ioan. 1. 12.

Martyrium, est crux, quam fideles Dei serui Christi nomine perpetiuntur, 1 Pet. 2. 20. & 3. 14. & 4. 12. Phil 1. 29.

Estque in cruentum, vel cruentum.

Martyrium in cruentum, est calumniarum, ignominie, carceris, exilij, & aliorum periculorum perpetratio, 2 Cor. 4. 8. & 6. v. 4. 8. & 12. 10.

Martyrium cruentum, est sanguinis & vitæ profusio ad veritatem Christi tanquam indubitate testimonio finaliter confirmandam, Ioan. 21. 18.

Mortificationi veteris hominis coniuncta est eiusdem sepultura.

Sepultura veteris hominis, est mortificationis quædam continuatio & conformatio, qua Spiritus assidue rebellantem carnem opprimat, 1 Cor. 9. 27.

Vivificatio, est nouæ spiritualis vitæ in nobis inchoatio, 1 Petr. 3. 21. 1 Cor. 5. 15.

## Hucusq; de Regeneratione.

Dona perpetuò Regenerationem comitantia, sunt  
Vnctio & Perseuerantia.

Vnctio, est donum Spiritus Sancti, quo intellectum nostrum ad intelligendam doctrinam Christi aptum efficit, Ephes. 1. 17. Matth 3. 11 Ioann. 14. 26. & 16. 13. 1 Ioann. 2. v. 20. 27. 1. Cor. 2. 10. 2 Cor. 4. 13. 1 Thessal. 1. 9. Esa. 11. 2.

Perseuerantia, est donum Spiritus Sancti, quo gratiam Christi in electis finaliter obsignat, 1 Corint. 1. 8.

BB 4

12 PARTIT. THEOLOG.

1 Thessal. 3. vers. 13. & 5 23. Roman. 15. ver. 13. 2 Corinth. 1.  
vers. 22.

Sic ergo fuerunt opera Dei, quæ in huius vitæ spacio  
incidunt: restant quæ hanc vitam  
consequuntur.

**O**pera Dei quæ hanc vitam consequuntur, sunt Resuscitatio mortuorum vniuersalis, & Iudicium ultimum.

Resuscitatio mortuorum vniuersalis, est opus Dei, quo post expletum electorum numerum, omnes omnino homines in vitam reuocabit, Actor. 3. 24. 1 Petr. 3. 7. Apocal. 6. 11.

Iudicium ultimum, est quo Dominus omnes sine exceptione ex verbo suo iudicatos, alios vitæ æternæ heredes, alios ignis æterni cum Diabolis socios declarabit, Matth. 25. 31. Rom. 14. 10. 2 Cor. 5. 10.

*Adhuc explicata fuit Fides de Deo: sequitur  
de Ecclesia Dei.*

**E**ccllesia Dei est, cœtus fidelium, quos Deus ad vitam æternam elegit.

Sanctorum communio, est Christi atque omnium eius beneficiorum spiritualis participatio, 1 Ioann. 1. v. 13. 1 Cor. 1. 9. Ephes. 4. 4. Rom. 12. 5. Col. 3. 15.

Hæc communicatio perficitur intrinsecus, & extrinsecus.

Intrinsicus fit per Spiritum Sanctum, quo tanquam vinculo res etiam procul, quod ad locorum interualla attinet, dissitæ, connectuntur.

Extrinsicus fit cum Verbo, tum Sacramento.

Verbo per promissionem salutis & gratiæ Christus & beneficia eius credentibus offeruntur.

Sacramentum est signum foederis æterni inter Deum & homines credentes, quo Christi beneficia credentibus obsignantur. Genes. 9. v. 12. 16. & 17. 7. Exodi 20. 10. & 31. 14. Rom. 1. 11. 1 Cor. 11. 25.

Sacramentum vel veteris Testamenti est, vel noui.

Vtriusque substantia est eadem: differunt saltem ad iunct.

L I B E R I.

13

iunctis externis, tempore, symbolis, claritate, etiam subiecto, Coloss. 2.11. Phil. 3.3. 1 Cor. 10.2.

Sacramentum veteris Testamēti fuit, quod ante Christi aduentum Ecclesiæ à Deo institutum erat.

Sacramentum veteris Testamenti aliud fuit generale, aliud speciale.

Generale, quod vniuersis omnino Israēlitis generaliter obseruari præceptum fuit.

Fuitq; Circumcisio, vel Pascha,

Circumcisio fuit Sacramentum veteris Testamenti, quo omnes mares in populo Israēlitico in præputio circumcisisti, fœderi à Deo cum Abraham initio inserebantur, Genes. 17.9.

Pascha fuit Sacramentum veteris Testamenti, quo fidèles comedebant Agno Paschali, liberationis ex Aegyptio tum præteritæ corporalis, tum futuræ spiritualis admonebantur, Exodi 12.3.

Speciale fuit, quod speciatim ad quosdam saltēm pertinuit: quale fuit Iris Noe proposita post diluvium, Manna, Petra & Serpens æneus Israēlitis in deserto; & Ignis cœlitus accensus ad victimas consumendas, Abele, Salomonem & Elia sacrificante.

Manna erat Sacramentum veteris Testamenti, quo cibo cœlitus demisso alebantur, ad significandam spiritualem alimoniam per Christum dandam, Exodi 16.14. Ioan. 6.32. 1 Cor. 10.3.

Petra erat Sacramentum veteris Testamēti, quo aqua profluente è Petra baculo à Moysè percussa potabatur, ad significandum spiritualem potum à Christo fundendum, 1 Cor. 10.4.

Sacramentum noui Testamenti (quod etiam Christianum appellare possumus) est, quod ab ipso Christo Ecclesiæ suæ institutum, Sacramentis veteris Testamēti successit.

Estque Baptismus & Cœna Domini.

Baptismus est Sacramentum Christianum, quo aqua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti semel abluti Christo initiatur, ad profitendum, sanguine Christi nos à peccatis ablui, Matth. 28.19. Rom. 6.3.

BB 5

14. PART. THEOLOG. LIB. I.

Cœna Domini est Sacramentum Christianum, quo,  
actis Deo gratiis, pane fracto & vino utimur ad profi-  
tendum nos Christi corpore crucifixō, sangu-  
neque fuso, in æternam vitam  
sustentari.

LIBRI I. FINIS.



Partitio-



# Partitionum Theologica- rum, Logica Methodo institutarum,

L I B E R   S E C V N D V S.

*De Fidei Actionibus.*



CTIONES fidei sunt, quæ ex fide pro-  
manantes nos Deo per Christum gra-  
tos & acceptos faciunt, Roman.14.23.  
Hebr.11.6.

Actiones fidei sunt inobedientia  
Legis: eisque è regione aduersantur  
peccata.

Pecatum est, quicquid est contra Legem Dei.

Lex Dei, est decalogus decem mandatorum à Deo i-  
psō, ut esset actionum nostrorum regula, promulgatus,  
Deut.6.1.

Decalogus extat Exodi 20. his verbis descriptus:

*Ego Iehova Deus tuus, &c.*

Obedientia Legis tota consistit in dilectione, 1 Tim.1.5.

Dilectio, est amare Deum supra omnia, & proximum  
sicut nos ipsos, Matth.22.37.

E dilectione nascitur zelus diuinus.

Zelus diuinus, est vehemens animi indignatio aduer-  
sus ea, quæ contra legem Dei fiunt, Ioan.2.14. Psalm.68.  
10. & 119.139. 1 Reg.19.10. Act.17.16. Numer.15.11. 2 Cor.  
7.7. & 11.2.

Hic zelus cum scientia erit, si prudentia spirituali gu-  
bernabitur, Rom.10.2. Phil 3.6.

Prudentia spiritualis, est iudicij à Spiritu Sancto  
illustrati rectitudo, per quam omnia ad obedientiam  
legis apta & necessaria solerter eligimus. Sic Paulus

16 PARTIT. THEOLOG.

λαργεῖαν vult esse λογικῶν, Roman 12.1. Sic idem oportunitatem nos obseruare iubet in virtutum exercitio, Rom. 13.11.

Obedientia Legis versatur in cultu Dei & virtute.

Cultus Dei, est actio fidei soli Deo præstanta.

Adiuncta cultus Dei sunt, timor Dei & humilitas.

Timor Dei, est reue: éta maiestatis Dei cum fuga peccati coniuncta, Psal. 5.8.

Humilitas, est abnegatio sui, qua quis sibi ipsi disciplens, totum se Deo subiicit.

Cultus Dei internus est, vel externus.

Internus, est spiritualis cultus in animo consistens, Rom. 1.9.1 Petr. 2.5.

Internus cultus Dei, est Inuocatio & Gratiarum actio.

Inuocatio, est cultus Dei internus, per quem bona necessaria à Deo petimus.

Inuocādi & precandi formula singularis ea est, quam Discipulis rogantibus Magister ipse Christus instituit, Matth. 6.9. Luc. 11.2.

Pater noster qui es in cælis &c.

Inuocationis comes est Spes; Spei verò effectum Patientia.

Spes est bonorum à Deo promissorum indubitata expectatio, Heb. 6.11. Rom. 12.12. Tit. 2.13. Iac. 1.6.

Patientia, est constantia animi, per quam calamitates à Deo impositas spe auxiliij diuini eleganter perferimus, Iac. 1.3 Rom. 12.12, 1 Petr. 2.20.

Gratiarum actio, est cultus Dei internus, per quē Deo pro bonis acceptis debitam laudem reddimus.

Externus cultus Dei, est per quem D̄cum externis modis colimus.

Versaturque tum in confessione fidei & iuramento, tum in voto & ritibus.

Confessio fidei, est veritatis cœlestis ex Scriptura sancta cognitæ aperta testificatio, 1 Petr. 3.5.

Iuramentum, est religiosa diuini nominis contestatio, Deuteronom. 6.13. & 10.20. Roma. 1.9. 2 Corinth. 1.23. & 11.31. Phil. 1.8.

Votum, est promissio Deo facta de re aliqua sancta, nomine gratitudinis ipsi debitæ præstanta, Psalm. 50.

vers. 14.

vers. 14. & 66. 13. & II. vers. 6. 22. Leuitic. 27. vers. 1.

Ritus vel ceremonia, est extinutum sacrorum exercitium.

Ritus vel perpetuus est, vel temporarius.

Ritus perpetuus, est qui in externo cultu Dei exercendo semper est necessarius: cuiusmodi est sanctificatio Sabbathi, Exodi 23. Esa. 58. Ierem. 17. Num 15.

Sanctificatio Sabbathi complectitur quicquid ad Dei cultum exhibendum pertinet: videlicet meditationem verbi Dei, preces solennes & Sacramentorum administrationem.

In his certa & ordinata disciplina conseruari debet,  
1 Cor. 14. 40. Coloss. 2. 5.

Disciplina Ecclesiastica, est decens politiae Ecclesiastice administratio.

Est q; communis, vel propria.

Communis, que ad omnia membra vniuersi corporis Ecclesiæ pertinet.

Ea in Conciliis Ecclesiasticis, vel Synodis conspicitur. Quiuis enim potest audiri in Concilio, modo id ritè & ordine fiat.

Concilium Ecclesiasticum, est cōuentus Ecclesiæ causa institutus.

Causa vero conuocandorum Conciliorū duplex est.

Vna, ut Ecclesia param doctrinam in verbo Dei comprehensam aduersus hæreticos asserat, & aperto suo testimonio approbet, Aet. 15.

Hac ratione Ecclesia dicitur columna & firmamentum veritatis, cuius videlicet fidelis est testis, 1 Tim 3. 15.

Altera, ut politiae Ecclesiastice leges vel canones, pro diuersa temporum, locorum & personarum ratione constituat.

Concilium, vel vniuersale est, vel particulare.

Vniuersale, quod vniuersæ Ecclesiæ nomine collectum est: quale fuit Istræliticum, 1 Reg. 18. 19. & Apostolicum,

Particulare Concilium est, in quo certæ alicuius provinciæ Ecclesiæ conueniunt: alias Prouinciale, item Nationale vocant.

Explicata communi disciplina: sequitur propria.

18 PARTIT. THEOLOG.

Disciplina propria, est quæ ad certatum personarum in Ecclesia functionem pertinet.

Earum personarum aliæ fuerunt in veteri Testamento: aliæ sunt in novo.

In veteri Testamento fuerūt Sacerdotes & Prophetæ. Sacerdotes fuerunt, quibus administratio veri cultus Dei in Ecclesia Israëlitarum commissa fuit.

Prophetæ fuerunt, qui extraordinaria vocatione missi erant, tum ad instaurationem doctrinæ à Sacerdotibus corruptæ, tum ad quorundam politicorum cōsiliorum gubernationem.

In novo Testamento sunt vel Episcopi, vel Diaconi. Episcopi sunt, quibus sermonis, precum & Sacramentorum administratio incumbit.

Episcoporum functio vel temporaria est, vel perpetua. Temporaria, quæ instituta erat ad id tempus, quo initio plantandæ erant noui Testamenti Ecclesiæ.

Fuitque Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarum noui Testamenti, Ephes. 4.11.

Apostoli fuerūt immediate ab ipso Christo designati ad Euangeliū in vniuerso orbe terrarum prædicādum, Matth. 28.19.

Euangelistæ fuerunt comites & om̄es ep̄j̄i. Apostolorū, cuiusmodi fuerunt Timotheus, Silas, Titus, & alij Pauli comites, Act. 16.3. & 17.15.

Prophetæ noui Testimenti, fuerunt singulare quādam intelligentia mysteriorum Dei donati, adeò ut etiam pollerent dono prædicendi res futuras, Act. 11.27. & 21.20.

Functio perpetua est, quę omnibus temporibus in Ecclesia requiritur.

Estque vel Doctorum, vel Pastorum, Ephes. 4.11.

Doctorum munus est catechumenos instituere. Quo munere functus est Origenes in Ecclesia Alexandrina, Euseb. lib. 6. cap. 5.

Pastorum manus est doctrinam verbi applicare Ecclesiæ vsibus.

Tantum de Episcopis: de Diaconis  
sequitur.

Diaconi

**D**iaconi sunt, qui Ecclesiasticorum negotiorum causa  
Episcopis sunt adiuncti.

Horum aliis ætarij, seu bonorum Ecclesiasticorum ad-  
ministratio: aliis iurisdictionis Ecclesiasticæ potestas  
data est.

Bona Ecclesiastica in quatuor partes diuidebantur.

Vna distribuebatur Clericis, qui ministerio Ecclesiæ  
erant addicti, Matth.10.10.1 Cor.9.9.1 Thess.3.8.

Alter quadrans pauperibus alendis impendebatur.

Tertius tuendis ædificiis Templorum destinabatur.

Quadrans reliquus Episcopo cōcedebatur, quo pau-  
peres aduenas exciperet: & captiuos etiam fratres, cū  
opus esset solaretur, 1 Tim.3.2. Tit.1.8.

His Diaconis, qui bona Ecclesiastica curabant, adiun-  
ctæ fuerunt viduæ, quæ pauperum & hospitalium usibus  
seruiebant, præsertim ægrotorum, Act.6.1.1 Tim.5.9.

Iurisdictione Ecclesiastica est spiritualis potestas, qua  
authoritas legum Ecclesiasticarum conseruatur.

Hæc committebatur Presbyteris, seu Senioribus.

Consistit autem tum in censura, tum in externi decori  
in Ecclesia constitutione.

Censura est pars iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ad  
correctiones spectat.

Censura vel Admonitio est, vel Excommunicatio.

Admonitio, est censura priuata, qua quis solus vel  
adhibito uno atque altero teste, quempiam corrigit,  
Matth.18.v.15.16.

Excommunicatio, est censura publica, qua quispiam  
ex Sanctorum communione iustè exclusus declaratur,  
ac proinde traditus Satanæ, nisi resipuerit, Matth.18.17.  
1 Cor 5.5.1 Tim.1.20.

Externi decori in Ecclesia constitutio complectitur  
Electiones, causas matrimoniales, publicorum ieiunio-  
rum indictiones.

*Sic fuit de ritu perpetuo: sequitur de  
temporario.*

**R**itus temporarius, est quo abrogato saluu's nihil omi-  
nus cultus Dei manet.

Cuiusmodi sunt Molaici, qui ad certum tempus du-

20 PARTIT. THEOLOG.

rare, & aduentu Messiae abrogari dehebant, dum videlicet veritas exhibita esset, cuius illi signa saltem fuerant,  
Act. 15.10.

Hi igitur non amplius necessariam obseruationem habent: sed vigore libertatis Christianae sunt aboliti.

Libertas Christiana, est Christianorum à rituum Mosaicorum seruitute solutio, Gal. 5.1.

*Adhuc fuit de Cultu Dei: sequitur de Virtute.*

Virtus est actio honesta, 2 Petr. 1. v. 3 s. Tit. 3. 8.

Vtque cultus diuini regula est lex Dei: ita etiam virtutis.

Virtus est Temperantia, vel Iustitia.

Temperantia est virtus modum in omnibus conservans.

Estque tum sanctimonia: tum mansuetudo & modestia.

Sanctimonia, est sanctae conuersationis studium.

Estq; continentia & decorum.

Continentia, est sanctimonia lasciviam carnis coercens, 1 Petr. 2. 11. Rom. 13. 14. Gal. 5. 6.

Continentia est tum sobrietas & vigilantia: tum castitas.

Sobrietas est continentia in cibo & potu, 1 Pet. 4. 7.

E sobrietate nascitur Frugalitas.

Frugalitas, est virtus res ad sustentandam vitam moderatè dispensans. Alias Parsimonia.

Vigilantia, est continentia voluptatem somni moderans, 1 Petr. 5. 8.

Castitas, est continentia in rebus venereis.

Decorum, est per quod in externis gestibus sanctimoniam conseruamus.

Estque in condito sermone & comitate: tum in yre-  
recundia & munditie.

Conditus sermo, est decens sermonis de rebus qui-  
bus suis usurpatio, Ephes. 4. 29.

Huius comes est Taciturnitas.

Taciturnitas, est decens in loco silentium, 1 Corinth.  
14. 35.

Comi-

**C**omitas, est decens in colloquiis facilitas, i Petr. 3.8.  
**V**eracūdia, est ingenuus pudor à timore infamiae pro-  
fectus.

**M**undities, est decens in amictu ornatus, i Petri 3.3.  
i Timoth. 2.9.

*Sic dictum est de Sanctimonia: sequitur de  
Manuetudine & Modestia.*

**M**Ansuetudo, est temperantia, per quam iram mode-  
rantes, leniter alij alios toleramus, Ephes. 4.v.2.26.

Tit. 3.2.

Ex hac promanat studium concordiae.

Studium concordiae, est virtus, per quam pacem cū  
omnib. quāniū in nobis est, colimus, Eph. 4.3. Rom. 12.18.

Modestia, est per quam quisque summissè de se ipse  
sentit.

Modestia prōcreat candorem.

Candor est virtus optimè de aliis iudicans.

*Hactenus fuit de Temperantia: dicendum  
iam est de Iustitia.*

**I**ustitia est virtus suum cuique tribuens.

Iustitia priuata est, vel publica.

Iustitia priuata, est quæ homines priuatos concernit.

Iustitia priuata vel Distributiua est, vel Cōmutatiua.

Iustitia distributiua, est virtus vnicuique consentanea  
pro dignitate cuiusq; præstans, Rom. 13.7.

Ea vel Oeconomica est, vel erga alios.

Iustitia Oeconomica, est quæ in officiorum econo-  
micorum administratione præstari debet.

Hæc sita est in sanctitate coniugij, & dispensatione rei  
familiaris.

Coniugiū est legitima maris & fœminæ coniunctio.

Coniugij officia versantur in iustitia coniugali & e-  
ducatione liberorum.

Horum officiorum commune vinculum est συγγν.

Συγγν est naturalis amor cognati sanguinis.

Iustitia coniugalis præstatur, si ambo coniugēs con-  
iugalem amorem integrum & impollutum conseruent.

Si secus fiat, sæpe diuortium sequitur.

Diuortium est legitima coniugij solutio.

CC

Causæ diuortij dñæ sunt tantum: Vna adulterium,  
Matt. 19.9 Altera desertio, id est, malicioſa alterius con-  
jugis diſcessio, 1 Cor. 7.15.

Peculiariter autem mariti officium, est tueri uxorem  
& leniter habere, Coloss. 3.19.

Vxorū officium, est marito subiectam esse, Eph.  
5.22. Coloss. 3.18. i Petr. 3.1.

Educatio liberorum, officia parentum & liberorum  
complectitur.

Parentum officium, est moderate patria potestate uti,  
& liberos enutrire in doctrina & disciplina Domini, E-  
phes. 6.4. Coloss. 3.21.

Liberorum officium est, tum obtemperare parentib.  
Eph. 6.1. Col. 3.20. tum inter se concordes esse, Psal. 133.1.

Dispensatio rei familiaris versatur in officio tum Do-  
minorum, tum seruorum.

Officium Dominorum est, moderate uti suo in seruos  
imperio, Ephes. 6.9.

Officium seruorum est, ex animo fideliter imperatos  
a Dominis labores perficere, Ephes. 6.5.

*Iustitia Oeconomica declarata est: sequitur ius  
Iustitia Distributiva erga alios.*

**I**ustitia distributiva erga alios, est vel erga publicum  
Magistratum, vel priuatos homines.

Erga publicum Magistratum est subiectio:

Subiectio est iustitia distributiva erga magistratum, que  
consistit in obedientia erga leges: & publicorum onerū  
portatione, Rom. 13.1. Matth. 17.27. & 22.21. i Petr. 2.13.

Erga priuatos homines est Amicitia & Liberalitas.

Amicitia est, quæ pro vera benevolentia reddit veram  
benevolentiam.

Liberalitas est, qua officia & bona nostra voluntarie  
& gratuitò cum aliis communicamus, Roman. 12.v.3.16,  
2 Cor. 8.10.

Estq; Eleemosyna & Hospitalitas.

Eleemosyna, est liberalitas erga egentes, per commi-  
ssariationem in opiam eorum sublevans, 1 Cor. 16.1.

Hospitalitas, est liberalitas erga aduenas; officiosè  
eos hospitio accipiens, Rom. 12.13. Icr. 13.2. i Pet. 4.9.

*Libera-*

Liberitatis in dignos collatæ fructus est Gratitudo.  
Gratitudo, est virtus liberalitatis alterius memoriam  
officiosam conservans.

*Hac tenus de Iustitia distributiva: de com-  
mutativa sequitur.*

Iustitia commutativa, est virtus equitatem in commerciis seruans.

Hæc versatur in Sedulitate & Veracitate.  
Sedulitas, est virtus, per quam labores nostri officij  
diligenter & fideliter exequimur, 2 Thess. 3. 10.

Hanc comitantur αὐτορεξία & abstinentia.  
Αὐτορεξία, est virtus per quam sua sorte quisque con-  
tentus est, 1 Timoth. 6. 6.

Abstinentia, est virtus, per quam manus abstinemus  
ab alienis.

Veracitas, est virtus ita quiduis affirmans uti est.

*Sic fuit de iustitia priuata: sequitur  
de publica.*

Iustitia publica, est virtus publici Magistratus, commu-  
nem Reipub. statum incolanem conservans, 1 Tim. 2. 2.  
Magistratus, est officium publicum, potestatem in  
subiectos legitimè gerens, Rom. 13. 1.

Iustitia publica togata est, vel bellica.  
Iustitia togata, est æqua legum administratio.  
Conspiciturq; in legū promulgatione & executione.  
Legum promulgatio felicitatem totius Reipubl. spe-  
ctare debet.

Ea felicitas non tantum sita est in negotiis ad hanc vi-  
tam pertinentibus: sed etiam vel maximè in hoc, ut pri-  
mo loco verus Dei cultus vigeat, à quo uno vera omnis  
felicitas promanat, Deuter. 17. 18. 2 Samuel. 6. 1. 1 Reg. 2.  
27. & 11. 11. Psal. 75. 11.

Executio, est legum promulgatarum in effectum pro-  
ductio.

In hac in primis clucere debet ἀναγνώσθυσια.  
Ἀναγνώσθυσια, est incorrupta legum sine personarū  
acceptione exequitio, Psal. 82. 1. 2 Paral. 19. 7. Deut. 1. 16.  
& 16. 18. Proverib. 24. 23.

24 PARTIT. THEOL. LIB. II.

In executione vel ius strictum seruatur, vel clementia adhibetur.

Ius strictum, est rigida legum seueritas.

Clementia, est rigoris legum istis de causis mitigatio.  
Græcis est ἡ πένεια.

Iustitia bellica, est belli cum æquitate administratio,  
Luc. 3.14.

Bellum, est legitima aduersus publicas iniurias defensio.

LIBRI II. FINIS.



ΕΠΙ-

## ΕΠΙΣΑΓΜΑ.

 PER A D E I communia electis & reprobis sunt, Patefactio verbi & Vocatio.

Patefactioni verbi adiuncta sunt Miracula.

Duntaxat ad Electos spectat fœdus æternum inter Deum & ipsos.

Fœderis istius duæ sunt partes: ex parte Dei, Promissio gratiæ: ex parte hominum, Obligatio ad hunc solū Deum colendum, & ad viuendum secundùm legem ipsius.

Promissioni adiunxit Deus Sacramēta, tanquā sigilla.

Sacramentum, est visibile signum, per quod res spirituales in Euangelio promissæ fidelibus ita significantur & obsignantur, ut certi reddantur, se eas tam verè accipere, quam verè visibile signum accipiunt.

Usus Sacramenti est in eius administratione & perceptione.

In administratione consideranda sunt, à quo administrari debet, cui, & quo ritu.

Administratio fieri debet à Ministro legitimè ad id ordinato: etiamsi interdum sit hypocrita.

Tantumque illis, quorum cognita est fides & vita: ne margaritæ ante porcos proiiciantur.

Idque eo ritu, qui à Deo ipso institutus est.

Perceptio Sacramenti fit corpore: qua significatur & obsignatur perceptio rerum promissarum, quæ fit anima vel fide.

Habet enim Sacramentum similitudinem rei promissæ, cuius signum est.

Propter hanc similitudinem & analogiam signum saepenomen rei promissæ accipit: & contrà, res promissa etiam nomen signi.

Quæ permutatio & translatio nominum Metaphora à Rhetoribus appellatur.

Sed metaphoræ præterea metonymia coniungitur, ubi res promissa pro eius fructibus accipitur.

Sacramentum duplex est: veteris Testamenti, vel noui.

Sacramentum veteris Testamenti aliud fuit ordinarium, aliud extraordinarium.

Ordinaria fuerunt duo: Circumcisio & Pascha.

Extraordinaria etiam duo: Baptismus nubis & maris,  
& Coena mannae atq; aquæ ex petra profluentis.

Sacmenta noui Testamenti duo sunt: Baptismus &  
Coena Domini.

HUMILIATIONIS Christi partes duæ sunt. Incarnationis & ministerium. Incarnatio est opus humilationis Filij Dei, quo humanam naturam assumens in carne manifestatus est.

Incarnationis partes sunt, tum Conceptio humanæ naturæ & Vnio personalis, tum Nativitas.

Ministerium Christi vel Propheticum est, vel Sacerdotiale.

Propheticum, est in prædicatione verbi, qua nō solùm arcanum consilium de redemtione nostri nobis patefecit, sed etiam legis diuinæ veram sententiam exposuit.

Ministerij Sacerdotalis partes duæ sunt, Satisfactio & Intercessio.

Satisfactio est in Legis impletione & generis humani redemtione.

Legis impletio est in subiiciendo se Legi, & omnia præstanto quæ per eam præcepta sunt.

Redemtio generis humani est persolutio pœnæ pro peccatis generis humani.

Ea consistit tum in Passione & morte: tum in Sepultura & descensu ad inferos.

Exaltatio Christi complebitur tum Resurrectionem ipsius ex mortuis, & manifestationem quadraginta diebus: tum Ascensionem in cœlum, & sessionem ad dextram Patris.

ECCLESIA, est coetus vocatorum ad agnitionem Dei & participationem beneficiorum ipsius.

Ecclesia vel vniuersalis est, vel particularis: Hæc visibilis, illa inuisibilis est.

Ecclesia vniuersalis, est inuisibilis coetus tantum fideliūm, quos Deus ad beatam & æternam vitam elegit.

In hac considerandum tum caput, tum corpus.

Caput est Christus: Corpus vero mysticum est, eiusq; membra tantum sunt electi.

Ecclesia particularis, est vñibilis coetus hominum audiens

dientium verbum Dei, cui multi mali & hypocritæ sunt  
admixti vsq; ad nouissimum iudicium.

Ecclesia particularis aut est veteris Testamenti, aut  
noui.

Vtriusque partes duæ sunt: Ecclesiasticæ personæ &  
Laici.

Ecclesiasticæ personæ sunt quæ Ecclesiæ operam suam  
impendunt.

Ecclesiasticæ personæ vel ordinariè vocantur, vel ex-  
traordinariè.

Ordinariè ab Ecclesia: extraordinariè ab ipso Deo:

Personarum extraordinariè vocatarum dona etiam  
extraordinaria fuere, ut discretionis Spirituum, sanandi  
ægrotos, edendi miracula, &c.

In Ecclesia veteris Testamenti ordinariè fuerunt vo-  
cati Sacerdotes: extraordinariè Prophetæ.

In noui Testamenti Ecclesia extraordinariè fuerunt  
vocati Apostoli, Euangelistæ & Prophetæ noui Testa-  
menti.

Horum functio fuit temporaria: instituta neimpe ad id  
tempus, quo initio plantandæ erant Ecclesiæ noui Te-  
stamenti.

Et quia Ecclesia noui Testamenti ex omnibus genti-  
bus colligenda erat, ideo præcipue dono linguaatum or-  
natæ fuerunt.

Ordinariè vocantur Episcopi & Diaconi.

Dies festus Ecclesiæ noui Testamenti vel hebdomada-  
rius est, vel anniversarius.

Hebdomadarius est, qui singulis hebdomadis recur-  
rit, & dies Dominica dicitur.

Anniversarius est, qui quotannis recurrat: ut dies Nati-  
vitatis, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, A-

scensionis Christi in cœlum, & festum Penit-  
tostes, seu missionis Spiritus

Sancti.

F I N I S.



Ms 695



KD 17

gsl. 16 JZ





**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Geb. als ~~Heilig. P.~~ <sup>907</sup>  
**A M A N D I  
P O L A N I A  
P O L A N S D O R F**

Partitionum Theologica-  
rum, Logica Methodo  
institutarum,

**L I B E L L I D V O.**

Xαεις Βαιοῖσιν ὄπηδαι.



**B A S I L E Ā,**  
Per CONRAD. WALDKIRCH.

clc Iec x.